

21ST LATIN SUMMER SCHOOL

19th-23rd JANUARY 2015 Education Building, University of Sydney

LEVEL 4.4

Gildas' De Excidio Britanniae

Instructor: Susan Ford



The Ruin of Britain by Gildas

Tutor: Susan Ford, ANU

The *De Excidio Britanniae* of the monk Gildas describes the fifth-century AD Saxon invasions of Britain from the British point of view. It was written either in the first half of the sixth century or, as Nicholas Higham argues, in the late fifth century, and is one of the very few extant works produced in Britain from the period of European tribal migrations. The *De Excidio* is therefore a crucial text not only for the history of the period and the beginnings of Mediaeval historiography, but also for the Arthurian legends.

Gildas, known as Gildas Sapiens in the Middle Ages, was a self-conscious and learned writer. For events he drew on Eusebius' *Ecclesiastical History*, and was in turn the source for Bede's chapters on the *adventus Saxonum*. His allusive style owes much to Jerome and the Vulgate, which he quotes extensively, and also to classical Latin literature.

The Latin of the *De Excidio* is of interest for its vigour and vocabulary. Despite the fact that a nineteenth-century editor described it as 'peculiar', Gildas' Latin is not difficult once one realises that his argument proceeds largely by metaphor.

The text falls into two parts. The first is a compressed account of Britain from the Roman invasion to Gildas' own day (sections 2 to 26). The second part (sections 27–110) is a 'Complaint', addressed to Britons themselves, concerning a pervasive moral laxity which has brought them to disaster and subjection. The 'Complaint' in fact presents an allegory of the British as a chosen people.

We will read some slabs of 500–600 words per day taken principally from the first part, thus covering most of the historical material. Bear in mind as you read that Gildas uses a freer word order than classical Latin – and look out for images from Virgil!

Brief Bibliography

Barry Cunliffe, *Britain Begins*, Oxford, Oxford University Press, 2013. (Chapter 12, pp401–445, is relevant. The chapter title 'Its red and savage tongue' is taken from Gildas.)

Robert Hanning, *The Vision of History in Early Britain: From Gildas to Geoffrey of Monmouth*, New York, Columbia University Press, 1966.

Nicholas Higham, *The English Conquest: Gildas and Britain in the Fifth Century*, Manchester, Manchester University Press, 1994.

Nicholas Higham, *King Arthur: Myth-making and history*, London, Routledge, 2002.

Michael Lapidge & David Dumville (eds.), *Gildas: New Approaches*, Woodbridge, Boydell Press, 1984.

Thomas O'Sullivan, *The De Excidio of Gildas: Its Authenticity and Date*, Leiden, Brill, 1978.

Michael Winterbottom, *Gildas: The Ruin of Britain and Other Works*, Chichester, Phillimore, 1978. (Includes translation and notes.)

Monday

Geographic and historical

[We omit chapter 1, describing how Gildas was moved to write the *De Excidio* by his reading of the Bible, and begin with chapter 2 which forms an abstract of the whole work]

2

[1] Sed ante promissum deo uolente pauca de situ, de contumacia, de subiectione, de rebellionem, item de subiectione ac diro famulatu, de religione, de persecutione, de sanctis martyribus, de diuersis haeresibus, de tyrannis, de duabus gentibus uastatricibus, de defensione itemque uastatione, de secunda ultione tertiaque uastatione, de fame, de epistolis ad Agitium, de uictoria, de sceleribus, de nuntiatis subito hostibus, de famosa peste, de consilio, de saeuiore multo primis hoste, de urbium subuersione, de reliquis, de postrema patriae uictoria, quae temporibus nostris dei nutu donata est, dicere conamur.

3

[1] Britannia insula in extremo ferme orbis limite circium occidentemque uersus diuina, ut dicitur, statera terrae totius ponderatrice librata ab Africo boreali propensius tensa axi, octingentorum in longo milium, ducentorum in latio spatium, exceptis diuersorum prolixioribus promonteriorum tractibus, quae arcuatis oceani sinibus ambiuntur, tenens, cuius diffusiore et, ut ita dicam, intransmeabili undique circulo absque meridiana freto plagae, quo ad Galliam Belgicam nauigatur, uallata, duorum ostiis nobilium fluminum Tamesis ac Sabrinae ueluti brachiis, per quae olim transmarinae deliciae ratibus uehebantur, aliorumque minorum meliorata, [2] bis denis bisque quaternis ciuitatibus ac nonnullis castellis, murorum turrium serratarum portarum domorum, quarum culmina minaci proceritate porrecta in edito forti compage pangebantur, munitionibus non improbabiler instructis decorata; [3] campis late pansis collibusque amoeno situ locatis, praepollenti culturae aptis, montibus alternandis animalium pastibus maxime conuenientibus, quorum diuersorum colorum flores humanis gressibus pulsati non indecentem ceu picturam eisdem imprimebant, electa ueluti sponsa monilibus diuersis ornata, [4] fontibus lucidis crebris undis niueas ueluti glareas pellentibus, pernitidisque riuis leni murmure serpentibus ipsorumque in ripis accubantibus suauis soporis pignus praetendentibus, et lacubus frigidum aquae torrentem uiuae exundantibus irrigua.

4

[1] Haec erecta ceruice et mente, ex quo inhabitata est, nunc deo, interdum ciuibus, nonnumquam etiam transmarinis regibus et subiectis ingrata consurgit.

...

[3] neque nominatum inclamitans montes ipsos aut colles uel fluuios olim exitiabiles, nunc uero humanis usibus utiles, quibus diuinus honor a caeco tunc populo cumulabatur, et tacens uetustos immanium tyrannorum annos, qui in aliis longe positis regionibus uulgati sunt, ita ut Porphyrius rabidus orientalis aduersus ecclesiam canis dementiae suae ac uanitatis stilo hoc etiam adnecteret: ‘Britannia’, inquit, ‘fertilis prouincia tyrannorum’, [4] illa tantum proferre conabor in medium quae temporibus imperatorum Romanorum et passa est et aliis intulit ciuibus et longe positis mala: quantum tamen potuero, non tam ex scriptis patriae scriptorumue monimentis, quippe quae, uel si qua fuerint, aut ignibus hostium exusta aut ciuium exilii classe longius deportata non compareant, quam transmarina relatione, quae crebris inrupta intercapedinibus non satis claret.

...

...

6

[1] Quibus statim Romam ob inopiam, ut aiabant, cespitis repedantibus et nihil de rebellione suspicantibus rectores sibi relictos ad enuntianda plenius uel confirmanda Romani regni molimina leana trucidauit dolosa. [2] Quibus ita gestis cum talia senatui nuntiarentur et propero exercitu uulpeculas ut fingeat subdolas ulcisci festinaret, non militaris in mari classis parata fortiter dimicare pro patria nec quadratum agmen neque dextrum cornu aliiue belli apparatus in litore conseruntur, sed terga pro scuto fugantibus dantur et colla gladiis, gelido per ossa tremore currente, manusque uinciendae muliebriter protenduntur, ita ut in prouerbium et derisum longe lateque efferretur quod Britanni nec in bello fortes sint nec in pace fideles.

...

Tuesday

Scots, Picts, Romans (rather clever with walls), lazy British

8

[1] Interea glaciali frigore rigenti insulae et uelut longiore terrarum secessu soli uisibili non proximae uerus ille non de firmamento solum temporali sed de summa etiam caelorum arce tempora cuncta excedente uniuerso orbi praeifulgidum sui coruscum ostendens, tempore, ut scimus, summo Tiberii Caesaris, quo absque ullo impedimento delatoribus militum eiusdem, radios suos primum indulget, id est sua praecepta, Christus.

...

13

[1] Itemque tandem tyrannorum uirgultis crescentibus et in immanem siluam iam iamque erumpentibus insula, nomen Romanum nec tamen morem legemque tenens, quin potius abiciens germen suae plantationis amarissimae, ad Gallias magna comitante satellium cateuera, insuper etiam imperatoris insignibus, quae nec decenter usquam gessit, non legitime, sed ritu tyrannico et tumultuante initiatum milite, Maximum mittit. [2] Qui callida primum arte potius quam uirtute finitimos quosque pagos uel prouincias contra Romanum statum per retia periurii mendacique sui facinoroso regno adnectens, et unam alarum ad Hispaniam, alteram ad Italiam extendens et thronum iniquissimi imperii apud Treueros statuens tanta insania in dominos debacchatus est ut duos imperatores legitimos, unum Roma, alium religiosissima uita pelleret. Nec mora tam feralibus uallatus audaciis apud Aquileiam urbem capite nefando caeditur, qui decorata totius orbis capita regni quodammodo deiecerat.

14

[1] Exin Britannia omni armato milite, militaribus copiis, rectoribus licet immanibus, ingenti iuuentute spoliata, quae comitata uestigiis supra dicti tyranni domum nusquam ultra rediit, et omnis belli usus ignara penitus, duabus primum gentibus transmarinis uehementer saeuis, Scotorum a circione, Pictorum ab aquilone calcabilis, multos stupet gemitque annos.

...

18

[1] Igitur Romani, patriae denuntiantes nequaquam se tam laboriosis expeditionibus posse frequentius uexari et ob imbelles erraticosque latrunculos Romana stigmata, tantum talemque exercitum, terra ac mari fatigari, sed ut potius sola consuescendo armis ac uiriliter dimicando terram substantiolam coniuges liberos et, quod his maius est, libertatem uitamque totis uiribus uindicaret, et gentibus nequaquam sibi fortioribus, nisi segnitia et torpore dissolueretur, inermes uinculis uinciendas nullo modo, sed instructas peltis ensibus hastis et ad caedam promptas protenderet manus, suadentes, [2] quia et hoc putabant aliquid derelinquendo populo commodi adcrecere, murum non ut alterum, sumptu publico priuatoque adiunctis secum miserabilibus indigenis, solito structurae more, tramite a mari usque ad mare inter urber, quae ibidem forte ob metum hostium collocatae fuerant, directo librant; fortia formidoloso populo monita tradunt, exemplaria instituendorum armorum relinquunt. [3] In litore quoque oceani ad meridianam plagam, quo naues eorum habebantur, quia et inde barbaricae ferae bestiae timebantur, turres per interualla ad prospectum maris collocant, et ualedicunt tamquam ultra non reuersuri.

19

[1] Itaque illis ad sua remeantibus emergunt certatim de curucis, quibus sunt trans Tithicam uallem euecti, quasi in alto Titane incalescenteque caumate de artissimis foraminum cauerniculis fuscis uermiculorum cunei, tetri Scottorum Pictorumque greges, moribus ex parte dissidentes, sed una eademque sanguinis fundendi auiditate concordēs furciferosque magis uultus pilis quam corporum pudenda pudendisque proxima uestibus tegentes, cognitaque condebitorum reuersione et reditus denegatione solito confidentiores omnem aquilonalem extremamque terrae partem pro indigenis muro tenus capessunt.

Wednesday

The Britons

20

[1] Igitur rursum miserae mittentes epistolas reliquiae ad Agitium Romanae potestatis uirum, hoc modo loquentes: ‘Agitio ter consuli gemitus Britannorum;’ et post pauca querentes: ‘repellunt barbari ad mare, repellit mare ad barbaros; inter haec duo genera funerum aut iugulamur aut mergimur;’ nec pro eis quicquam adiutorii habent.

[2] Interea famis dira ac famosissima uagis ac nutabundis haeret, quae multos eorum cruentis compulit praedonibus sine dilatione uictas dare manus, ut pauxillum ad refocillandam animam cibi caperent, alios uero nusquam: quin potius de ipsis montibus, speluncis ac saltibus, dumis consertis continue rebellabant. [3] Et tum primum inimicis per multos annos praedas in terra agentibus strages dabant, non fidentes in homine, sed in deo, secundum illud Philonis: ‘necesse est adesse diuinum, ubi humanum cessat auxilium.’ Quieuit parumper inimicorum audacia nec tamen nostrorum malitia; recesserunt hostes a ciuibus nec ciues a suis sceleribus.

21

[1] Moris namque continui erat genti, sicut et nunc est, ut infirma esset ad retundenda hostium tela et fortis esset ad ciuilia bella et peccatorum onera sustinenda, infirma, inquam, ad exequanda pacis ac ueritatis insignia et fortis ad scelera et mendacia. Reuertuntur ergo impudentes grassatores Hiberni domos, post non longum temporis reuersuri. Picti in extrema parte insulae tunc primum et deinceps requieuerunt, praedas et contritiones nonnumquam facientes. [2] In talibus itaque indutiis desolato populo saeua cicatrix obducitur, fame alia uirulentiore tacitus pullulante. Quiescente autem uastitate tantis abundantiarum copiis insula affluebat ut nulla habere tales retro aetas meminisset, cum quibus omnimodis et luxuria crescit. Creuit etenim germine praepollenti, ita ut competentur eodem tempore diceretur: ‘omnino talis auditur fornicatio qualis nec inter gentes.’

[3] Non solum uer hoc uitium, sed et omnia quae humanae naturae accidere solent, et praecipue, quod et nunc quoque in ea totius boni euertit statum, odium ueritatis cum assertoribus amorque mendacii cum suis fabricatoribus, susceptio mali pro bono, ueneratio nequitiae pro benignitate, cupido tenebrarum pro sole, exceptio Satanae pro angelo lucis. [4] Ungebantur reges non per deum sed qui ceteris crudeliores exstarent, et paulo post ab unctoribus non pro ueri examinatione trucidabantur aliis electis trucioribus. Si quis uero eorum mitior et ueritati aliquatenus propior uideretur, in hunc quasi Britanniae subuersorem omnia odia telaque sine respectu contorquebantur.

...

22

[1] Interea uolente deo purgare familiam suam et tanta malorum labe infectam auditu tantum tribulationis emendare, non ignoti rumoris penniger ceu uolatus arrectas omnium penetrat aures iamiamque aduentus ueterum uolentium penitus delere et inhabitare solito more a fine usque ad terminum regionem. Nequaquam tamen ob hoc proficiunt, sed comparati iumentis insipientibus strictis, ut dicitur, morsibus rationis frenum offirmantes, per latum diuersorum uitiorum morti procliuē ducentem, relicto salutari licet arto itinere, discurrebant uiam.

Thursday

Saxon depredations; battle of Badon hill, lead up and consequences

23

[1] Tum omnes consiliarii una cum superbo tyranno caecantur, adinuenientes tale praesidium, immo excidium patriae ut ferocissimi illi nefandi nominis Saxones deo hominibusque inuisi, quasi in caulas lupi, in insulam ad retundendas aquilonales gentes intromitterentur. [2] Quo utique nihil ei usquam perniciosius nihilque amarius factum est. O altissimam sensus calignem! o desperabilem crudamque mentis hebetudinem! Quos propensius morte, cum abessent, tremebant, sponte, ut ita dicam, sub unius tecti culmini inuitabant: ‘stulti principes’, ut dictum est, ‘Taneos dantes Pharaoni consilium insipientes’.

[3] Tum erumpens grex catulorum de cubili laeanae barbarae, tribus, ut lingua eius exprimitur, cyulis, nostra longis nauibus, secundis uelis omine auguriisque, quibus uaticinabatur, certo apud eum praesagio, quod ter centum annis patriam, cui proras librabat, insideret, centum uero quinquaginta, hoc est dimidio temporis, saepius uastaret, euectus, [4] primum in orientali parte insulae iubente infausto tyranno terribiles infixit unguis, quasi pro patria pugnaturus sed eam certius impugnaturus. Cui supradicta genetrix, comperiens primo agmini fuisse prosperatum, item mittit satellitum canumque prolixiore catastam, quae ratibus aduecta adunatur cum manipularibus spuris. Inde germen iniquitatis, radix amritudinis, uirulenta plantatio nostris condigna meritis, in nostro cespite, ferocibus palmitibus pampinisque pullulat. [5] Igitur intromissi in insulam barbari, ueluti militibus et magna, ut mentiebantur, discrimina pro bonis hospitibus subituris, impetrant sibi annonas dari: quae multo tempore impertitae clausurunt, ut dicitur, canis faucem. Item queruntur non affluenter sibi epimonia contribui, occasiones de industria colorantes, et ni profusior eis munificentia cumlaretur, testantur se cuncta insulae rupto foedere depopulatos. Nec mora, minas effectibus prosequuntur.

24

[1] Confouebatur namque ultionis iustae praecedentium scelerum causa de mari usque ad mare ignis orientali sacrilegorum manu exaggeratus, et finitimas quasque ciuitates agrosque populans non quieuit accensus donec cunctam paene exurens insulae superficiem rubra occidentalem trucique oceanum lingua delamberet.

...

25

[1] Itaque nonnulli miserarum reliquiarum in montibus deprehensi aceruatim iugulabantur: alii fame confecti accedentes manus hostibus dabant in aeuum seruituri, si tamen non continuo trucidarentur, quod altissimae gratiae stabat loco: alii transmarinas petebant regiones cum ululatu magno ceu celeumatis uice hoc modo sub uelorum sinibus cantantes: ‘dedisti nos tamquam oues escarum et in gentibus dispersisti nos’: alii montanis collibus minacibus praeuuptis uallatis et densissimis saltibus marinisque rupibus uitam suspecta semper mente credentes, in patria licet trepidi perstabant.

[2] Tempore igitur interueniente aliquanto, cum recessissent domum crudelissimi praedones, roborante deo reliquiae, quibus confugiunt undique de diuersis locis miserrimi ciues, tam auide quam apes aluari procella imminente, simul deprecantes eum tot corde et, ut dicitur, innumeris ‘onerantes aethera uotis’, ne ad internicionem usque delerentur, [3] duce Ambrosio

Aureliano uiro modesto, qui solus forte Romanae gentis tantae tempestatis collisione occisis in eadem parentibus purpura nimirum indutis superfuerat, cuius nunc temporibus nostris suboles magnopere auita bonitate degenerauit, uires capessunt, uictores prouocantes ad proelium: quis uictoria domino annuente cessit.

26

[1] Ex eo tempore nunc ciues, nunc hostes, uincebant, ut in ista gente experietur dominus solito more praesentem Israellem, utrum diligat eum an non: usque ad annum obsessionis Badonici montis, nouissimaeque ferme de furciferis non minimae stragis, quique quadragessimus quartus (ut noui) orditur annus mense iam uno emenso, qui et meae natiuitatis est.

[2] Sed ne nunc quidem, ut antea, ciuitates patriae inhabitantur; sed desertae dirutaeque hactenus squalent, cessantibus licet externis bellis, sed non ciuilibus. Haesit etenim tam desperati insulae excidii insperatique mentio auxilii memoriae eorum qui utriusque miraculi testes extitere: et ob hoc reges, publici, priuati, sacerdotes, ecclesiastici, suum quique ordinem seruarunt. [3] At illis decedentibus cum successisset aetas tempestatis illius nescia et praesentis tantum serenitatis experta.

...

Friday

A sample of the Complaint: Gildas berates the British leaders

31

[1] Quid tu quoque, pardo similis moribus et nequitiis discolor, canescente iam capite, in throno dolis pleno et ab imis uertice tenus diuersis parricidiis et adulteriis constuprato, boni regis nequam fili, ut Ezechiae Manasses, Demetarum tyranne Vortipori, stupide riges? quid te tam uiolenti peccatorum gurgites, quos ut uinum optimum sorbes, immo tu ab eis uoraris, appropinquante sensim uitae limite non satiant? quid quasi culminis malorum omnium stupro, propria tua amota coniuge eisdemque honesta morte, impudentis filiae quodam ineluctabili pondere miseram animam oneras?

...

32

[1] Ut quid in nequitiae tuae uolueris uetusta faece et tu ab adolescentiae annis, urse, multorum sessor aurigaque currus receptaculi ursi, die contemptor sortisque euis depressor, Cuneglase, Romana lingua lanio fulve? Quare tantum certamen tam hominibus quam deo praestas, hominibus, ciuibus scilicet, armis specialibus, deos infinitis sceleribus? [2] Quid praeter innumerabiles casus propria uxore pulsa furciferam germanam eius, perpetuam deo uiduitatis castimonium promittentem, ut poeta ait, summam ceu teneritudinem caelicolarum, tota animi ueneratione uel potius hebetudine [nympharum] contra interdictum apostoli denegantis posse adulteros regni caelestis esse municipes suspicis? Quid gemitus atque suspiria sanctorum propter te corporaliter uersantium, uice immanis laeanae dentium ossa tua quandoque fracturae, crebris instigas iniuriis?

...

33

[1] quid tu enim, insularis draco, multorum tyrannorum depulsor tam regno quam etiam uita supra dictorum, nouissime stilo, prime in malo, maior multis potentia simulque malitia, largior in dando, profusior in peccato, robuste armis, sed animae fortior excidiis, Maglocune, in tam uetusto scelerum atramento, ueluti madidus uino de Sodomitana uite expresso, stolide uolularis? [2] Quare tantas peccaminum regiae ceruici sponte, ut ita dicam, ineluctabiles, celsorum ceu montium, innectis moles? Quid te non ei regum omnium regi, qui te cunctis paene Britanniae ducibus tam regno fecit quam status liniamento editiorem, exhibes ceteris moribus meliorem, sed uersa uice deteriorem? [3] Quorum indubitata aequanimiter conuiciorum auscultato parumper adstipulationem, omissis domesticis leuioribusque, si tamen aliqua sunt leuia, palata solum longe lateque per auras admissa testaturam.

[4] Nonne in primis adolescentiae tuae annis avunclum regem cum fortissimis propemodum militibus, quorum uultus non catulorum leonis in acie magnopere dispares uisebantur, acerrime ense hast igni oppressisti, parum cogitans propheticum dictum, ‘uiri’, inquit, ‘sanguineum et doli non dimidiabunt dies suos’? [5] Quid pro hoc solo retributionis a iusto iudice sperares, etsi non talia sequerentur quae secuta sunt, itidem dicente per prophetam: ‘uae tibi qui praedaris, nonne et ipse praedaberis? et qui occidis, nonne et ipse occideris? et cum desiueris praedari, tunc cades’?

...

37

[1] Hic sane vel antea concludenda erat uti ne amplius loqueretur os nostrum opera hominum, tam flebis hec querulaque malorum aevi huius historia. Sed ne formidulosos nos aut lassos putent quominus Isaianum infatigabiliter caveamus: ‘Vae’, inquit, ‘qui dicunt bonum malum et malum bonum, ponentes tenebras in lucem et lucem in tenebras, amarum in dulce et dulce in amarum’, ‘qui videntes not vident et audientes non audiunt’, quorum cor crassa obtegitur quadam vitiorum nube, [2] libet quid quantumque his supradictis lascivientibus insanisque satellitum Faraonis, quibus eius periturus mari provocatur exercitus strenue rubro, eorum similibus quinque equis minarum prophetica inclamitent strictim educule oracula, quibus veluti pulchro tegmine opusculi nostri molimen, ita ut ne certatim irruituris invidorum imbribus extet penetrabile, fidissime contegatur.

[3] Respondeant itaque quo nobis sancti vates nunc ut ante.

...